



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 832/13/I


DECRETUM


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mis ac Rev.mis **Archiepiscopis et Episcopis Conferentiae Membris Episcoporum Slovachiae**, benigne concedit ut, iubilare occasione anni Matris Dolorosae, Slovachiae Patronae, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiant omnibus christifidelibus adstantibus, qui, animo omnino elongato ab affectu peccati, iisdem sacris interfuerint, *papalem Benedictionem cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui *papalem Benedictionem* devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die III mensis Decembris, anno Dominicae Incarnationis MMXIII.


MAURUS S. R. E. Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 831/13/I

BEATISSIME PATER,

Stanislaus Zvolensky, Archiepiscopus Metropolita Bratislaviensis atque Praeses Conferentiae Episcoporum Slovachiae, nomine Episcoporum in LXXVI plenaria sessione eiusdem Conferentiae in civitate Vranoviensi congregatorum, proprios, omnium Episcoporum portionisque Populi Dei suae curae commissae impensos venerationis et oboedientiae sensus, Sanctitati Tuae ex animo pandit et fiducialiter exponit proximo anno sacrum celebratum iri quadringentesimum quinquagesimum anniversarium, ex quo apud oppidum Sassinium, ubi nunc exstat templum, a Servo Dei Paulo Pp. VI titulo basilicae minoris decoratum, manifestissima inceperunt ostendi signa maternae dilectionis Beatae Mariae Virginis Perdolentis seu a Septem Doloribus, totius Slovachiae caelestis Patronae, cuius pervetustum simulacrum de Beati Pii Pp. IX auctoritate aureo diademate coronatum est.

Ad felicem illum eventum rite celebrandum, a die I Ianuarii usque a diem XXXI Decembris MMXIV totum per Mariani Anni spatium, peculiare habebuntur sacrae functiones et varia spiritalia incepta, in basilicis ecclesiisque cathedralibus, in dioecesanis sanctuariis ac sacellis Matri Dolorosae dicatis, eo intento fine ut salutaris devotio erga caelestem Slovachiae Tutricem promoveatur in fidelibus, et, ipsa auxiliante, eorum mores impensius divino Evangelio conformentur.

Quo autem abundantius eis qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mi Praesules una cum tota Slovaca Natione, Indulgentiarum donum ad instar Iubilaei fiducialiter implorant.

Et Deus, etc.

Die III Decembris MMXIII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Sanctissimi Patris Francisci, Eiusdemque paternam benevolentiam perquam libenter significans, *iubilarem* largitur *Annum cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus semel in die lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint:

a.- quotiescumque nationale Matris Dolorosae sanctuarium in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacrae functioni pie interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, caelestis Tutricis supplicatione saltem una cum decade mariani Rosarii;


b.- si, diebus Mariae Virginis festis, quodlibet templum, pro iubilari anno designatum, in forma peregrinationis inviserint et ibi eucharisticae celebrationi vel horarum liturgiae pie interfuerint vel supra dictas preces devote recitaverint;


c.- si, die XV Septembris MMXIV, Beatae Mariae Virginis a Septem Doloribus festo, in quavis ecclesia vel oratorio supra dictas preces pro Sanctae Fidei propagatione in Slovachia devote recitaverint.

Pii christifideles, senectute vel gravi morbo impediti, *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, si, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram aliqua parva Matris Dolorosae imagine, iubilariis celebrationibus vel peregrinationibus se spiritualiter adiunxerint, suis precibus et doloribus misericordii Deo per Mariam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut dioecesani paenitentiarum, canonici et clerus iubilarium templorum celebrationi Paenitentiae prompto et generoso animo sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti totum per iubilarem annum Matris Dolorosae, Slovachiae Patronae, valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.


MAURUS S. R. E. Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens